Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 1003

Quelle:
Copyright:

T. III. p. 229. datur *Nicolao Claraev.* ponitque *Tandem* pro *Hodie. Fol.* 156. *De ſancto Andrea.* Initium: *Ad quietum ſtudium* &c. Legitur et in dicta *Biblioth.* et T. V. *Opp. Bernh. col.* 713. eidem *Nicolao* inſcriptus. *Fol.* 159. p. 2. *De ſancto Martino.* Initium: *Nobilis ille confeſſor* &c. Pariter ad *Nicolaum* relatus dictae *Biblioth.* T. *cit.* p. 219. Dixi jam, mirum eſſe, ipſo *Bernhardi* ſeculo Scriptis ejus tot aliena miſceri potuiſſe.

CCCCXXXII.

U. 81 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 371. 4. currente calamo perſcriptus, et rubricis enotatus varia continet, quae hic enumerantur: I. *Epiſtola beati Bernhardi de originali peccato in conceptione ſanctiſſime virginis Marie.* Initium: *Inter eccleſias Gallie conſtat profecto Lugdunenſem hactenus preeminuiſſe* &c. Nota illa reprehenſoria ad Canonicos *Lugdun.* Feſtum illibati Conceptus celebrantes, quae legitur in omnibus *Bernardi* Editionibus, et ſignate in *Mauriana Pariſ.* 1690. *Vol.* I. T. I. *col.* 169. *n.* CLXXIV.

II. *fol.* 2. *ſecuntur verba perſpicaciſſimi doctoris Magiſtri Johannis de turri cremata.* Ineunt: *Ecce teſtimonium clariſſimum, et tante auctoritatis, quod plane in hac re ipſum ſolum ſufficere deberet pro determinatione queſtionis* &c. Videlicet de Conceptu Virginis. Reſpondet vero dictus Doctor, Magiſter Palatii et *Eugenii* IV. ad Synodum *Baſil.* Orator, tum ab a. 1440. Cardinalis iis, quae piae Cauſſae Patroni adverſus *Bernhardi* Epiſtolam illo tempore obmovebant. Non dubito *Verba* noſtra excerpta eſſe ex ejus *Tractatu de veritate conceptionis Beatiſſimæ Virginis pro facienda relatione coram Patribus Concilii Baſileenſis anno Domini* 1437. &c. *Romae* edito 1547. 4. qui mihi ad manum non eſt. Sed nihil eum Patribus perſuaſiſſe, ex eorum Decreto *Seſſ.* XXXVI. a. 1439. liquet. Adi de eo *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 837.

III. *fol.* 12. praemiſſo Indice *Incipit biblia accurtata.* Conſpectus omnium utriusque Foederis Librorum ſacrorum, cujus indolem diſces ex initio: *Geneſis capitulum primum. In principio. de operibus ſex dierum. 2. Igitur perfecti ſunt. de ſabbato. paradiſo. legibus. nominibus. nuditate Adam et eue.* &c. Finis eſt: *excommunicat johannes addentem et ſubtrahentem. vocat Iheſum. Amen.*

IV. *fol.* 55. p. 2. *Incipit formula honeſte vite quam ſanctus martinus ſcripſit dumienſis eccleſie epiſcopus qui ab oriente venit. ſweuos ab arriana impietate conuertit ad mironem regem.* Lege *Braccarenſis* Eccleſiae; *Dumienſis* enim tantummodo Abbas fuit. Dixi de Libello Prudentiae, Fortitudinis, Temperantiae et Juſtitiae officia exponente *Vol.* I. P. 1. *col.* 584. Quo te, ſi lubet, refer.

V. *fol.* 60. *Incipiunt*, ut e *fol.* 187. p. 2. praeoccupandum eſt, *addiciones ad poſtillam Magiſtri*

Nico-